



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim**

**Innozenz <III., Papst>**

**Parisiis, 1682**

Atheniensi Archiepiscopo.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-20020**

missa per censuram ecclesiasticam appellatione remota iustitia mediante compellant. Datum Laterani 1x. Kal. Februarij, anno undecimo.

*Scriptum est ipsis super hoc.*

**ATHENIENSI ARCHIEPISCOPO.**

*Epist. 246.  
De residentia  
Canonicorum.*

**P**roposuisti nobis in nostra praesentia constitutus quod quidam Ecclesiae tuae Canonici nolunt Atheniensi Ecclesiae, prout tenentur, personaliter deservire. Quare dicta Ecclesia divinis officiis plurimum defraudatur. Ne igitur dicti Canonici ex hoc commodum valeant reportare ac dicta Ecclesia debito servitio defraudetur, praesentium tibi auctoritate concedimus ut ipsos per censuram ecclesiasticam appellatione remota tibi compellere liceat ad debitam in ipsa Ecclesia residentiam faciendam. Datum Laterani &c. ut supra.

**NAZORESCENSI ELECTO.**

*Epist. 247.  
Super eodem.*

**P**roposuisti nobis in nostra praesentia constitutus quod quidam Ecclesiae Nazorescensis Canonici nolunt eidem Ecclesiae, prout tenentur, personaliter deservire &c. *ut in alia.* Datum Laterani viii. Kal. Februarij anno undecimo.

**HELIENSI EPISCOPO.**

*Epist. 248.  
De Praeceptore  
Ecclesiae London.  
Cap. Cum olim. De consuetudine.*

**C**um olim venerabilis frater noster Londoniensis Episcopus nostris auribus intimasset quod in sua Ecclesia proposuerat statuere Praeceptorem, certum redditum assignaturus eidem sine laesione cuiusquam, nos ejus precibus inclinati licentiam ei concessimus Praeceptorem hujusmodi ordinandi, dummodo in conferendis sibi redditibus nulli praedictum inferretur, nihilominus statuentes ut Praeceptor taliter institutus in sessionibus, processionibus, & aliis illam haberet in Londoniensi Ecclesia dignitatem quam habent alij Praeceptores in aliis Ecclesiis Anglicanis. Postmodum autem nostris fuit auribus intimatum quod licet idem Episcopus dilectum filium B. in eadem instituisset Ecclesia Praeceptorem, quod tamen a nobis fuerat de praebata dignitate statutum biennio jam elapso exequi non curarat. Quapropter tibi dedimus in mandatis ut illud sublato cuiuslibet contradictionis & appellationis obstaculo exequi non proponeres, contradictores per censuram ecclesiasticam compescendo. Noviter vero dilecti filij Decanus & quidam alij personatus habentes in Ecclesia memorata suam nobis transmissere querelam quod cum

per Anglicanas Ecclesias consuetudines sint diversae, ac quidam Cantorum minorum, quidam vero majorem habeant dignitatem, nec possint dignitates eorum, cum sint vel variae vel repugnantes, convenire simul in unam, is qui noviter est institutus in Ecclesia Londoniensi Praeceptor, non contentus eo quod habere potest sine praedictorum aliorum, occasione litterarum nostrarum quasdam ipsius Decani & aliarum personarum ejusdem Ecclesiae dignitates sibi nititur in eorum praedictum arrogare. Quocirca fraternitati tuae per apostolica scripta mandamus quatenus si secundum diversas locorum consuetudines diversos habere noveris Praeceptores in Anglicanis Ecclesiis dignitates, jandictum Praeceptorem illam habere facias in Londoniensi Ecclesia dignitatem eaque appellatione remota permanere contentum quam rationabilibus & approbatis consuetudinibus ejus salvis sine alieno praedictum poterit obtinere. Datum Laterani 11. Non. Februarij, pontificatus nostri anno undecimo.

**HVBALDO EPISCOPO IN  
Archiepiscopum Ravennatem electo.**

**P**ost translationem tuam ad Ecclesiam Ravennatem cum dilecti filij Praepositus, Canonici, Abbates, & Primicerij Faventini totiusque civitatis clerus, sicut per litteras eorundem accepimus, in dilectum filium I. Presbyterum Canonicum Faventinum liberam eligendi auctoritatem unanimiter contulissent, ipse sancti spiritus gratia invocata dilectum filium Joachim sancti Fridiani Lucani Canonicum, olim Episcopum Serzenatem, in Faventinum Episcopum postulandum elegit, per cujus sollicitudinem circumspicendam, qui primò Canonicus & postea Praepositus in Faventina Ecclesia fuit laudabiliter conversatus, multiplicia sperantur eidem Ecclesiae commoda proventura. Porrò a dilecto filio sancti Fridiani Priore super hoc requisito & obtento consensu, Praepositus & alij supradicti postulationem eandem approbari a nobis humiliter petierunt. Verum postulationi hujusmodi videbatur Concilij Constantinopolitani capitulum prima facie obviare, in quo statutum esse dinoscitur ut quicumque de pontificali dignitate ad monachorum vitam & poenitentiae locum descenderit, nequaquam ulterius ad pontificatum resurgat. Vnde contra dictum Concilium, cum sit unum ex quatuor princi-

*Epist. 249.  
De Faventina  
Ecclesia Episcopum  
eligendi  
faciat.  
Cap. Post translationem.  
De monachis.  
Vide infra  
epist. 271.*

*Vide lib. 5.  
Conc. lat. 6.  
imp. cap. 24.  
§. 11.*